



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio VI. Vtrum Theologia naturalis sit simpliciter vera & propria
sapientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

aliquam cognitionem, quia tendat in obiectum abstractum, vnde negatur vltima pars illius argumenti.

Ad primum secundæ sententiæ respondetur distinguendo maiorem: est evidens, id est, evidenter cognoscibilis, non per denominationem extrinsecam ab habitu scientiæ, sed per cognoscibilitatem iam sapè explicatam, & in hoc sensu concedo; est evidens actualiter & extrinsecè nego: quia ut sic non est obiectum formale, sed potius extrinsecus effectus formalis scientiæ, & posterior illa, ut iam probatum reliquitur; ad minorem negatur quod evidenter cognoscibile sit à scientia, imo potius ut sic supponitur ante illam.

Ad vltimum respondetur distinguendo maiorem; quod est distinctum extrinsecè, & se habet ex parte obiecti constituens illud in esse motivi, & præsupponitur ante scientiam concedo; Quod est distinctum à posteriori, & sequitur ipsam scientiam nego: cum autem sic se habeant esse illuminatum, & illustratum, sequanturque ad ipsam scientiam, ideoque non sunt obiectum formale sub quo illius.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Theologia naturalis sit simpliciter vera & propria Sapientia?

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

Prima sententia asserens Theologiam naturalem non esse sapientiam: sic probatur.

Primo, quia ut asserit Aristoteles, 1. *Magnorum moralium*, sapientia hæc scientia, & intellectus constat, sed Theologia naturalis non constat ex scientia, & intellectu; ergo non est sapientia; minor sic probatur. Quia intellectus tendit in principia, scientia tantum in conclusiones tendit; ergo solum est scientia, vnde non est simul scientia, & intellectus, & sic non erit sapientia.

2. Secundo, sapientia est maxima inter omnes virtutes intellectuales iudicans, & ordinans illas, ut colligitur ex Aristotele 2. *Metaph.* sed Theologia naturalis non potest esse maxima inter omnes virtutes intellectuales; ergo non est sapientia: minor sic probatur; quia implicat quod Theologia nostra sit altior quam habitus principiorum à quo illa procedit, quia effectus non excedit causam.

3. Tertiò, Quia sapientia debet esse certior, & evidentior omni scientia, sed mathematica excedit Theologiam naturalem incertitudine, & evidentia; ergo Theologia naturalis non est certior, & evidentior omni scientia, vnde non est sapientia.

SECTIO II.

Aliqua notantur ad nostram sententiam explicandam.

Advertendum est duplicem esse acceptionem sapientiæ. Primo enim accipitur sapientia pro quocunque habitu intellectivo cuiuscunque

R. P. Ildeph. de Penafel, Theol. Schol. Tom. I.

generis sit, siue sit scientificus siue non; dum tamen sit ita præstans, ut certissime sine periculo errandi, ac firmissimè in sui obiecti cognitione versetur, in hac acceptione docet Aristoteles 1. *metaph.* & 10. *Magnorum moralium*, cap. 3. 5. & 6. *Ethic.* cap. 7. generali quadam ratione sapientem appellari, qui in sua arte, aut scientia exactissimus est, illamque perfecte caller, & qui non tantum scit, aut cognoscit ea quæ ex principiis deducuntur, sed etiam cognoscit ipsa principia, rationemque suæ artis tradit inquirenti, cur hoc, vel illo modo operetur tali arte ductus: Hoc exprimit his verbis lib. 1. *Metaph.* Artificesque iis, qui experientia rerum valent sapientiores esse arbitramur id quod ex eo accidit, quod illi causam sciunt, ij non item & in hoc sensu loquutus est D. Thomas 1. *part. quæst.* 1. art. 6. in corpore ubi sic ait. [ille sapiens dicitur in vnoquoque genere qui considerat altissimam causam illius generis, ut in genere ædificij artifex qui disponit formam domus dicitur sapiens, & architector respectu inferiorum artificum] vnde dicitur 1. *Corinthiorum* 13. at sapiens architector fundamentum posuit, & rursus in genere totius humanæ vitæ prudens, sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem; vnde dicitur *Proverbiorum* 1. Sapientia est viro prudentia.

Secundò, sumitur sapientia latissime non propterea denotat determinatum aliquem habitum ut asserit eximius Doctor Pater Franciscus Suarez; sed pro rectitudine quadam intellectuali ad bene iudicandum de rebus omnibus consurgente ex perfecta consequentia scientiarum omnium ad eum modum, quo iustitia in vna acceptione non significat vnum habitum in particulari, sed coniunctionem omnium virtutum moralium, & in hac acceptione definivit illam Cicero 4. *Tusculanarum*, & 1. *de Officiis*, dum ait: sapientia est rerum humanarum, atque divinarum causarumque, quibus hæc continentur, scientia.

Tertiò, accipitur sapientia propriissime, pro quodam habitu intellectus scientifico & determinato, qui perfectione ac præstantia superat omnes scientias naturales, ac de rebus perfectissimis summaque omnium causarum causa Deo nimirum maxima delectatione agit, & quia in hac acceptione sapientia maxima certitudine, ac evidentia, qua fruitur maximopere, nimumque oblectet mentem sapida scientia nuncupatur, & in hoc sensu agit de illa Arist. 1. *met.* cap. 2. & lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 2. 6. art. cap. 2. cui hæc conditiones, & proprietates adscribit lib. 2. *met.* cap. 2.

Prima conditio sapientiæ est ut agat de præstantissimis naturis, per vniuersalissima principia, iudicando de ipsis principiis, & etiam ut agat de altissima totius vniuersi causa. Hanc conditionem tradunt Aristoteles & D. Aug. Arist. loco citato, & 6. *Ethic.* c. 1. his verbis: constat igitur ex his sapientiam esse rerum præstantissimarum naturam scientiam sapientem; igitur non solum ea, quæ ex principiis sunt cognoscere, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet, quæ verba etiam repetit, 1. *mag. mor.* cap. 33. D. Aug. lib. 2. *de Trinitate*, his verbis; hæc sapientiæ & scientiæ recta distinctio, ut ad sapientem pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis: ad scientiam vero temporalium rationalis cognitio, vltimam autem partem conditionis tradidit D. Thom. 1. *p. q.* 1. art. 6. in corpore, sic, Ille igitur qui

E 2 considerat

considerat simpliciter altissimam causam totius
vniuersi, maxime sapiens dicitur.

8 Secunda conditio quæ potius convertitur cum
prima est, vt agit de rebus præstantissimis, & al-
tissimis causis, & de vniuersalibus principijs, &
eo sint difficiliore res cognitu, si expresse, &
scientifico modo cognoscantur, quo sunt præ-
stantiores, & vniuersaliores, inde est, quod sap-
ientia, quæ de talibus rebus agit, agit de diffi-
cillimis.

9 Tertia conditio, vt sit certissima & eviden-
tissima, quam his verbis tradidit Arist. [item il-
lum, qui certior est;] vbi denotari inquit D. Th.
sapientem omnium certiorum esse in qua condi-
tione, vt omnes DD. asserunt, includitur etiam
evidentia, & ratio manifesta est, quia cum to-
ta perfectio scientiæ evidentia, & certitudine con-
tineatur, & sapientia sit perfectissima omnibus-
que scientijs excellentior, vtrunque rationem ne-
cessario debet continere.

10 Vltima conditio est, vt de omnibus rebus agit,
quam sapientem maxime scire omnia, quoad fieri
potest, hanc conditionem propriissimam esse sa-
pientiæ, per eamque distingui à quacunque scien-
tia asseruit D. Thom. 1. p. quest. 57. a. num. 2. Ex his
omnibus conditionibus hanc descriptionem sa-
pientiæ colligit D. Thom. 1. metaph. lect. 2. his
verbis: Ille sapiens dicitur, qui scit omnia etiam
difficillima, per certitudinem, & causam ipsum
scire propter se querens, quam alio modo descri-
psit, D. Bernardus dicens; sapientia est sapida
scientia, id est, quæ summam voluptatis delecta-
tionem ac suauitatis dulcedinem ingerit, hanc
sapientiam descriptam sic propter suam præstan-
tiam sapiens Prov. 3. omnibus rebus anteposit
dicens: Beatus homo, qui invenit sapientiam,
melior est acquisitione eius negotiatione auri, &
argenti primi, & purissimi, præstantior est cum-
ctis opibus, & omnia, quæ desiderant, huic enim
valent comparari.

11 Nota vltimo, hic non dubitari vtrum Theo-
logia naturalis sit sapientia acceptione, quia cer-
tum est esse talem, cum sit habitus præstantis-
simus intellectualis agens de suo obiecto per vni-
uersalia principia, nec dubitatur vtrum sit sapien-
tia in secunda acceptione; quia certum est non esse
sapientiam eo sensu, cum non sit collectio om-
nium scientiarum, solum enim querimus in hac
quæstione vtrum Theologia naturalis sit sapien-
tia, tertia & vltima significatione seu acceptione,
in qua sumitur propriissime, ac rigorosissime
simpliciter, & absolute sapientia, quam immeri-
to simonides, & dementes alij negaverunt con-
cessam fuisse à Deo hominibus, existimantes
Deum invidia stimulatam tantum bonum rationali
ore acutè expulisse, quod assertum impietate
plenum est, si enim Deo malum repugnat mora-
liter, cum invidia de bono alterius militet, contra
rectam rationem peccatum est; vnde procul ab
illo, qui omni ex parte bonus est. Deinde sapien-
tia natura sua amat communionem, quare probe
Senec. epist. 6. in hoc gaudeo aliquid dicere, vt
doceam, nec me vlla res delectat, licet eximia
sit, & salutatis, quam mihi vniscitur sum, si
cum hac exceptione detur sapientia, vt illam in-
clusam teneam, nec enunciem, rejiciam, nullius
boni sine socio iucunda possessio est; sic ille fe-
cit: ergo Deus hominem sapientiæ participem
non illius infinitæ, & increatæ, quam ipse nati-
vam habet & ingentem, sed creatæ & limitatæ.

SECTIO III.

Nostre Sententiæ rationibus probatur.

PRIMA conclusio: Theologia naturalis est sim-
pliciter, & absolute sapientia, hæc sententia
est expressa Arist. multis in locis tum lib. 3. me-
taph. tum 6. 7. 8. & 10. 12. cap. 3. sed præcipue
lib. 1. metaph. cap. 1. vbi sic ait, id autem cuius
causa sermonem instituimus (loquitur ibi de me-
taphysica) illud est, quæ sapientia nominatur cir-
ca prima causas, & principia omnium sententia
versari, quod igitur sapientia, scientia sit, quæ
circa causas quasdam principiaque versetur, per-
spicuum est; quibus verbis clarissime declaravit,
vt S. Thom. docet se non lato modo nominasse
Theologiam sapientiam, sed propriissime, cum
eam hoc nomine appellet, quatenus est scientia
circa prima principia, & causas, sed ibi evidenter
Aristoteles non solum asseruit, sed etiam demon-
stravit Theologiam naturalem esse sapientiam
2. cap. eiusdem lib. 1. vbi, & non ad alium finem
proposuit omnes conditiones simpliciter sapien-
tiæ, & ex ipsis probat clarissime Theologiam na-
turalem esse sapientiam, nam D. Thom. super hoc
caput post adductas conditiones sapientiæ, vt
nullus de hac veritate dubitaret, sic ait, conclu-
dit Aristoteles ex prædictis conclusionem inten-
tam dicens, quod ex omnibus prædictis apparet,
quod in eandem scientiam metaphysicam scilicet
cadit propriissime nomen sapientiæ.

Probatur ratione primo ex prima conditio-
ne sapientiæ, quia illa est absolute, & simpliciter
sapientia, quæ contemplatur altissimam causam
vniuersi, & agit de rebus præstantissimis per
vniuersalissima principia, & versatur etiam circa
ipsa principia, sed Theologia naturalis est huius-
modi: ergo est simpliciter, & absolute sapientia;
maior evidens est, vt ex notabili constat, minor
sit probatur quoad primam partem, quia Deus est
simpliciter altissima, & prima causa totius vni-
uersi, vt fides Catholica docet; Item Deus, &
Angeli sunt præstantissimæ naturæ, sed Theolo-
gia naturalis agit de Deo certissime, & evidentis-
sime vt late demonstratum manet hac 1. disp.
quest. 2. circa 1. & agit principaliter de Deo, quia
cum Deus sit principalis eps inter omnia obie-
cta per se metaphysice Deus erit principalis in-
telligibilis, quia intelligibilitas sequitur entita-
tem: ergo Deus principalis intelligetur à Theo-
logia, quia potentia passivæ correspondet poten-
tia activæ eiusdem rationis, sicut quia Angelus
est principalis possibilis principalis produci-
tur ab omnipotentia, item agit de Angelis &
de toto gradu spiritali, vt probatum manet clare
vltima conclusione eiusdem citatæ quæstionis:
ergo Theologia naturalis est huiusmodi agendo
de altissima causa vniuersi, & præstantissimis natu-
ris: secunda pars minoris sic probatur, quia Theo-
logia naturalis agit de rebus per hæc principia,
impossibile est idem simul esse & non esse, quod-
libet vel est, vel non est, quæ vti omnium prima
sunt vniuersalissima, & licet communia soleant
nominari, non est ex eo quod non sint propria
metaphysicæ, nam vniuersalissima principia, &
quæ agunt de eodem obiecto proprio, ac agit
metaphysica scilicet ens, & non ens necessario
debent esse propriissima huius scientiæ, quæ vni-
versa

versalissima est: sed quia demonstratio principiorum cæterarum scientiarum, ad hæc duo revocatur; Item cætera principia, quibus medijs agit de rebus v.g. quicquid producit, &c. ens est unum bonum, omne ens à se est infinitum, ens ut sic, aut est substantia vel accidens, sunt etiam universalissima principia, quia vel habent pro obiecto immediato ipsum ens universalissimum, aut agunt de prima divisione illius.

14 Quod autem agat metaphysica de omnibus principiis tanquam de subiectis partialibus sic patet, quia in duplici differentia sunt principia naturalia, sunt principia omnium prima, & alia sunt secunda principia; prima principia tuerur, & confirmat, imo demonstrat, non per demonstrationem immediatam, & à priori, sed per demonstrationem mediatam, ad quem modum D. Th. *lect. 5. in fine* videtur exponere dictum Arist. nimirum quod oportet sapientem circa principia verum dicere, sic enim ait, non quidem, quod demonstrat ea, sed in quantum ad sapientem pertinet notificare communia, puta totum, & partem, & alia huiusmodi, quibus cognitio principia demonstrationis ignoscunt, unde & ad eiusmodi sapientem pertinet disputare contra negantes principia, ut patet ex 4. *metaph. tex. 8.* sic Angelicus Doctor, itaque hoc fit tradendo, & declarando rationem ipsorum terminorum, ex quibus prima principia constant demonstrando quid sine, quod experientia constat in discursu metaphysicæ doctrinæ, & apud Aristotelem præsertim, *lib. 1. 7. 8. & 9.* traditur enim in hac scientia, quid sit ens, quid sit non ens, quid substantia, quid accidens, quid totum, quid pars, quid actus, quid potentia, demonstrando essentias horum, ex quibus principia constant, unde mediate demonstratur principia quæ non habent aliud esse, quam termini hi, ex quibus componuntur, cum autem hæc principia vtriusque P. Suarez in re non habeat intrinsecum, & quasi formale medium quo illorum extrema connectantur per se, cognoscuntur scientiæ scientiæ, & evidenti cognitione terminorum, unde nihil potest magis ad eorum cognitionem iuvare quam scientiæ, & evidens notitia rationum eorum, ut in hac scientia traditur, inde evenit ut per se de tali notitia data operetur, & subtiliter scientia Theologia naturalis disputet, textusque controversias de dictis terminis & natura eorum, & licet per se loquendo ex parte terminorum non requiratur demonstratio, tamen quoad nos sæpe potest hoc demonstrari, præsertim vtriusque divisione constante ex oppositis terminis, & demonstrando quid res non sit, quod est nobis notius & inde concludendo, quid sit, hoc est incipiendo ab argumento negativo deveniendo ad affirmativum rei, sæpe etiam hoc fit tradendo aliquas descriptiones rationum simplicium, quæ sunt quoad nos notiores, & illis vtriusque, ut medijs ad demonstrationem efficiendam, quæ omnia ad scientiam humanam acquirendam satis sufficiunt.

15 Alia sunt principia, quæ vocantur secunda, licet sint prima comparatione aliarum scientiarum, quia cæteræ scientiæ, quarum sunt principia, respectu metaphysicæ propter inferioritatem earum, si ad Theologiam naturalem componantur, secunda vocantur, & circa illa versatur metaphysica demonstrando illa immediate, per propria sua principia, ut in logica dictum est, cuius principia demonstrantur per illa, quæ sunt eadem vni

tertio, &c. quodlibet vel est, vel non est, quæ sunt propria huius scientiæ; unde communiter principia metaphysicæ solent nominari, sed vltimior modus demonstrandi omnia principia in hac doctrina est per deductionem ad impossibile, & quia ut bene advertit P. Suarez, hoc est generalissimum huius doctrinæ proprium; ideo huiusmodi demonstrandi genus ad hanc sapientiam spectat, de hoc autem principio latissime dictum est in logica *disp. ultima de principiis.*

Præterea confirmat, & tuerur principia reflexe, 16 itendo, supra ipsum lumen intellectuale naturale, quo ipsa principia manifestantur, reducitque illa ad fontem unde dimanant, scilicet ipsum divinum lumen, sic enim recte colligimus prima principia vera esse, quia ipso naturali lumine immediate, & per se vera ostenduntur, nam in huiusmodi ratione assentiendi non potest hoc lumen decipi, vel ad falsum inclinari, quia est participatio divini luminis in suo genere & ordine perfecta, secundum illud Iacobi *Omne donum perfectum descendens est à Patre luminum*, & illud Symboli, *lumen de lumine*, licet non in primario sensu intelligatur, quia primaria significatio illius loci indicat processionem verbi divini à Patre, ut constat ex verbis sequentibus, *lumen de lumine, Deus verum de Deo vero.* His denique medijs exercetur metaphysica circa omnia principia, & ideo Aristoteles absolute loquutus est de omnibus dicens, metaphysicam demonstrare principia omnium scientiarum, ut patet, ex *proemio capitis primi*, & 2. & *lib. 4. metaph. tex. 7. & 1. poster. cap. 7. & 10. Topicorum c. 2. & 1. physicorum cap. 2.* ubi ait.

Prima principia Geometriæ non pertinere ad 17 Geometriam illa probare, sed ad primum Philosophum, quod aperte tuerur D. Tho. 1. 1. q. 5. art. 2. 2. 1. & 4. contra Gent. quod nulli alij scientiæ convenit, cæteræ quidem scientiæ, ut auctor est Aristoteles, supponunt, nec probant sua prima principia, si quis illa petulanter neget, ad Theologum naturalem pertinet illa probare, & ita ad cæteras scientias non pertinet verum dicere circa propria principia: & si quis prima principia à sapientia neget, proprium ipsius est, si non à priori, ut dictum est, saltem à posteriori deducendo ad impossibile, ostendendo connectionem terminorum, qua demonstrandi ratione evidenter patet veritas illorum, & ratio est, quia cum hæc scientia non habeat aliam superiorem scientiam à qua sumat sua principia, ea à posteriori veniunt, & ita sui muneris est propria principia quærere, quibus inventis reflexo discursu ad conclusiones regreditur, unde Theologia de ipsis principiis ut de partiali subiecto plura ostendit, per demonstrationem, quod adeo proprium est sapientiæ, ut per hoc solum distinguatur ipsa à cæteris scientiis, ac proinde maximam perfectionem & excellentiam aucupetur supra omnes scientias ex hoc quasi capite, & fonte, quod expressit D. Th. *lect. 5. in 6. lib. Ethicorum in fin.* ubi ait, sapientiam esse scientiam, distinguere tamen à scientia communiter sumpta per eminentiam, & perfectionem quam habet supra omnes alias, ex eo, quod sit virtus quædam omnium scientiarum, quarum principia regulat, tuerur, & demonstrat.

Secundo, arguitur ex cæteris conditionibus, 18 quia illa est simpliciter sapientia quæ certiora & evidentiori modo, quam cæteræ scientiæ versatur circa omnia etiam difficillima, sed Theologia naturalis se habet hoc modo: ergo Minor quoad

primam partem sic probatur, quia illa scientia est certior & evidentior, cuius principia sunt certiora, & evidentiora aliarum scientiarum principijs: ergo. Maior evidens est, quia quo aliquid illuminatur maiori, ac clariori lumine, maiorem claritatem & evidentiam habet, & ideo aer, habet maiorem claritatem, & evidentiam corporalem media die, quam tempore crepusculi matutini, ac vespertini, & quam nocte quia die illuminatur sole, qui maiorem claritatem habet quam sydera quibus illuminatur nocte, & ratio à priori est, quia quo causa est perfectior, & producit secundum suam totam virtutem, effectus est perfectior: sed principia sunt causa totius certitudinis, & evidentiae in scientia: ergo. Minor sic probatur.

19 Primò, quia principia sunt magis certiora, & evidentiora, quæ minus possunt falsificari, vel in quibus nulla potentia potest dari dispensatio, atque in principijs Philosophiæ potest dari dispensatio supernaturaliter & supernaturaliter potest falsificari, v. g. hæc principia nullum datur vacuum in natura, frustra sunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, nam divinitus potest dari vacuum in natura, & licet divinitus producat idem effectus per causam totalem, dum tamen per unam solam poterat naturaliter produci, talis productio non fit frustra, cum sit ad ostendendam infinitam Omnipotentiam Dei, in his autem principijs metaphysicis, quicquid de novo producit ab alio producit, quodlibet vel est, vel non est, nulla potest dari dispensatio adhuc divinitus, nec vlla potentia possunt falsificari illa, quia talia principia sunt superiora omni ente tam creato, quam in creato, principia autem Philosophica uti naturalia subiectantur potentiae supernaturali & supernaturaliter possunt alterari: ergo principia metaphysica sunt certiora aliarum scientiarum principijs.

Secundò, quia illa sunt principia certiora, & evidentiora, quæ sunt universaliora, & omnium prima, v. g. hæc principia evidentiora sunt, quodlibet vel est vel non est, impossibile est, & quam hæc: dici de omni, dici de nullo, si ab æqualibus æqualia demas, &c. quia illa sunt universalissima, & omnium prima, imò ab illis suam evidentiam accipiunt cætera, si quidem ad ostendendam evidentiam illorum ad metaphysica principia fit reductio; unde evidentiora sunt hæc illis, cum in sua evidentia dependant ab evidentia principij metaphysicæ, & præterea, quia principia metaphysicæ cum sint æqualia cum ente ut sic, aut cum primis membris divisionis entis ut sic, sunt universalissima principia, habent enim universalissimum obiectum, ergo sunt certiora, & evidentiora, & ideo sumuntur ut media, & ut præmissa ad probanda principia cæterarum scientiarum, ut conclusiones; item quia ut diximus principijs metaphysicæ convenit certitudo, & evidentia, cui de potentia Dei absoluta repugnat falsitas.

Ex quibus sic arguo: illa est maior certitudo, & evidentia, cui non potest subesse falsitas vlla potentia, & illa est minor cui potest subesse falsitatem potentia absoluta, sed principijs metaphysicæ non potest subesse falsitas, principijs autem physicis, ut diximus, & mathematicis quam plurimis, non repugnat subesse falsitas; ergo. Probatur minor, quia hæc principia Deus existit, Deus est independens, ens est unum; adeo sunt certa, & evidentia, ut nullo modo possint esse falsa, sed hæc principia Philosophica ex nihilo nihil fit, acci-

dens non potest esse separatim à substantia, idem corpus non potest esse in duplici loco, duo corpora non se possunt penetrare, possunt falsificari, per potentiam Dei absolutam, & fide Catholica constat; item possumus divinitus illud per sensus, qui ex sensibili accidenti colligunt substantiam, ubi non est, & etiam opinamur esse triangulum quod est quadratum, Philosophia etiam pro certissimo habebat unam naturam non posse supponi ab aliena subsistentia, & nihilominus fides Catholica docet sacratissimam humanitatem Christi Domini esse suppositam divinam subsistentiam; ex quibus omnibus evidenter colligitur certiora, & evidentiora esse principia metaphysicæ principijs aliarum scientiarum, cum illa nec per potentiam Dei absolutam alicui falsitati sunt obnoxia, & principia aliarum scientiarum passim divinitus falsificentur.

Item quia ex modo tendendi quoad præcipua 20 obiecta certior, & evidentior est omnibus, cum illa sit scientia certissima, & evidentissima, cuius cognoscendi modus versatur circa evidentissima omnium obiecta, uti sunt principia dicta, & quæ ex paucioribus rem conficiunt, sed ita se habet hæc scientia quatenus agit de ente ut sic, quia ut sic habet principia notiora, ex quibus alia principia robur, & certitudinem habent, sic enim res illæ de quibus Mathematici, & Physici tractant, includunt communia, & transcendentia prædicata, & principia harum principia illius, à quibus dependunt.

Quantum autem ad Deum pertinet certior & 21 evidentior est omni scientia, quia colligit essentiam, existentiam & infinitatem illius, ex his tribus principijs evidentissimis, quicquid producit, ab alio producit, quodcumque ens vel est à se, vel ab alio; si à se, est infinitum unicum & omnino necessarium.

Secunda pars minoris præcipuæ evidens est, 22 nam late demonstratum manet q. 2. huius dissertationis, conclusionem ultimam, quod agat de omnibus rebus metaphysicis, quod vero tractet de difficilioribus probat hoc pacto Aristoteles: illa quæ à sensibus sunt remotiora, sunt nobis ad cognoscendum difficiliora, cum omnis nostra cognitio à sensibus initium capiat, sed universaliora sunt à sensibus remotiora, cum sensus solum possint percipere singularia: ergo universaliora sunt nobis ad cognoscendum difficiliora, sed metaphysica agit de universalioribus, ergo agit de difficilioribus, ergo metaphysica est sapientia.

Verum probatio hæc mirum in modum Expo- 23 sitores cruciat, & merito, quia in illa non sibi videtur Aristoteles scius nec dictis ad primum lib. physicorum stare; ipse enim dicto lib. affirmat ab universalioribus ordine doctrinæ exordium, quia universaliora sunt nobis notiora, & evidentiora, videantur de hac re Scriptores, D. Thom. 1. Met. lect. 2. Suarez. 1. tom. disp. 1. sect. 5. à n. 8. Rub. 1. Physicor. cap. 1. q. 3. Conimb. ibidem, q. 3. Hurtad. disp. 1. sect. 9. §. 28. Met. lib. 1. Met. in commentario huius loci, Iavellus etiam ibidem quorum omnium postpositis sententijs placet mihi solum Conimb. sensum sententia absolute affirmans absolute nobis omnino esse difficiliora utiliora, quam minus universalia, & singularia, loquendo de cognitione distincta eorum, tam quæ sunt tota de cognitione potestativa, quam quæ sunt tota actualia, quædam potestativa, quam quæ sunt tota actualia, moveorque ad hoc asseverandum, quia omnis cognitio nostra distincta, quæ versatur circa universaliora

versaliora sub quocunque statu concepta, vel est cognitio praecisiva abstrahens à multis in aliqua ratione fundamentali convenientibus praedicatum aliquod univiersalius, vel est cognitio reflexa supponens praecisivam directam, & considerans naturam praedicati univiersalis praecisi, vel referens illud ad ea, à quibus praecisum est, vt totum ad partes subiectivas, sed cognitio omnis praecisiva & reflexa difficilius à nobis habetur; quam directa, vt de se patet: ergo dixi loquendo de cognitione distincta, quia si sermo sit de cognitione confusa rei univiersaliora sunt nobis notiora, quam minus univiersalia; hoc tamen provenit ex accidenti aliquo non per se, scilicet ex magna distantia, ex aere, seu medio impuro, ex potentia visiva laesa ex immoderato motu quo liberandum existimo. Aristotelem, à contradictionis calumnia, dicendum igitur est ipsum lib. 1. *Physicorum* loquutum fuisse de cognitione confusa rei, & per accidens, hic vero de cognitione distincta perfecta, & per se.

24 Tertiò sic probatur, quia sapientia est omnium scientiarum perfectior, & excellentior, sed Theologia naturalis est huiusmodi: ergo est proprie sapientia. Maior evidens est ex tertia acceptione propriissima sapientiae posita in notabili, vbi hoc attribuitur sapientiae, quodque tanquam certissimum concedunt omnes tam Theologi, quam Philosophi cum D. Thom. colligentes illud ex Aristotele quam plurimis in locis, vbi Theologiam hoc tanquam essentiale habentem asserit, eamque omnium facile Principem lib. 1. *metaph.* cap. 2. his verbis facit, ea vero scientia maxime omnium princeps est, quae novit cuius causa, quidque sit vt est sapientia sic Aristoteles: minor sic probatur, nam illa scientia perfectior est alijs, quae perfectiora entia contemplatur, & agit demonstrative de perfectissimis rebus, nam ex perfectione obiecti maxima perfectio refunditur in habitum, vt asseruit D. Thom. 1. *de anima*, c. 1. & 1. p. *quest.* 1. art. 5. vbi deducit illud Aristotelis lib. 1. *de partibus animalium*, cap. 5. res superiores tametsi leviter attingere possimus ob eius cognoscendi generis excellentiam, amplius oblectamur quam cum nobis cuncta omnia teneamus, & ideo perfectior est Philosophia, quam Mathematica, & Dialectica, quia agit de perfectioribus obiectis, & scientia beatifica perfectior est omni alia scientia, & visio beatifica omni alia visione, quia habent pro obiecto Deum omnium rerum perfectissimum, & ratio à priori evidens est quia scientia habent suam essentiam, & perfectionem & recipiunt illam in ordine ad obiectum formale medijs principijs, ab obiecto enim formali specificatur habitus scientiae, sed entia perfectiora habent perfectiorem cognoscibilitatem, [quae est ratio formalis specificativa sub qua] quia entitas, & cognoscibilitas sunt idem, vel ad minus est attributum entitatis cognoscibilitas, attributum autem semper sequitur perfectionem essentiae, & per consequens habent perfectiora principia quae sunt media formalia cognoscibilitatis, media enim proportionantur cum fine: ergo scientia quae ordinantur, & tendunt in perfectiora entia, sunt perfectiores essentialiter.

25 Secunda pars maioris sic probatur ex D. Th. 1. 2. *quest.* 57. art. 1. vbi sic ait; sapientia, quia habet aliquid proprium supra alias scientias in quantum scilicet de omnibus iudicat, & non so-

lum quantum ad conclusiones, sed etiam quantum ad omnia principia, ideo habet perfectioris virtutis rationem quam scientiae: sed Theologia naturalis contemplatur tanquam proprium, & per se obiectum omnium entium nobiliora & praestantiora, ac supremas ipsorum entium causas nempe Deum, & intelligentias, & omnia obiecta omnium scientiarum, & omnia principia, vt iam supra demonstratum manet: ergo simpliciter, tam extensive, quia plura obiecta quam ceterae scientiae, & intensive quia perfectiora entia erit absolute perfectior.

Confirmatur quia illa entitas, quae est inde-²⁶pendens absolute, ab illaque dependent essentialiter cetera est perfectior omnibus dependentibus ab illa tanquam ab entitate completa; sed Theologia naturalis est independens à scientijs, omnes autem scientiae dependent ab illa essentialiter: ergo maior evidens est, vt late demonstrata manet in logica *disp.* 1. *quest.* 6. *conclus.* 2. *probatione secunda*, & *disp.* 15. *quest.* 5. *conclusionem* 1. *probat* 2. & latissime hic *disp.* 1. *quest.* 1. *conclus.* 2. nam ideo Deus est perfectior omni ente creato quia Deus minime dependet, omnes autem creaturae dependent essentialiter ab illo. Minor sic probatur 1. ex verbis clarissimis D. Thom. 3. *contra Gent.* cap. 25. *ratione* 6. vbi sic ait: hoc autem modo se habet prima Philosophia ad alias scientias, nam ab illa omnes aliae dependent, vt pote ab ipsa accipientes sua principia, & directionem contra negantes principia, quae verba 1. 2. q. 2. art. 2. ad 2. extendit etiam ad habitum principiorum, & praeter hanc dependentiam ait esse perfectiorem sapientiam scientia & intellectus, sic scientia pendet ab intellectu, sicut à principaliore, & vtrumque pendet à sapientia sicut à principalissimo, quae sub se continet, & intellectus, & scientiam, & rationem: secundo sic probatur, quia tota certitudo, & evidentia scientiae dependet à suis principijs, atqui principia ceterarum scientiarum dependet à principijs huius scientiae, v.g. in logica hoc principium, dici de omni, dependet ab hoc principio, quae sunt eadem vni tertio, & in Philosophia principium, nemo dat, quod non habet & frustra sunt, &c. dependent ab illo principio, impossibile est idem simul esse, &c. in ipsorum veritatis, & evidentiae manifestatione, & ratio est, quia haec scientia speculatur supremas entium rationes, univiersalissimas entis proprietates, propriam rationem essentiae & omnes modos distinctionis, qui sunt in rebus: sed sine horum omnium distincta cognitione non potest particularium rerum cognitio haberi, & omnes aliae scientiae sapissime vtuntur principijs metaphysicis aut ea supponunt, vt in suis demonstrationibus progredi possint; vnde saepe contingit ex ignoracione metaph. in alijs scientijs errare, ideoque ceterae scientiae quoad veritatis contemplationem, seu iudicium & infallibilem vim, & rectitudinem attingendi illam diriguntur à metaphysica accipiendo quodammodo principia terminorum, cognitionem, seu quidditates & essentias suorum obiectorum, ita vt huius directionis causa absque ea reliquis scientias plane caecutire, vere pronunciat Averroes 12. *met.* ad 10. 5. & ratione dependentiae, quam habent ab hac scientia reliquae, dicitur haec princeps ceterarum, imperareque alijs imperio potius speculativo, quam practico, praeter quod ipsa simpliciter eminet in ratione scientiae, &

& sapientia; itaque non solum excedit metaphysica in obiecti nobilitate ut dictum est, sed etiam in causarum, & principiorum independentia, ac superioritate; ex quo fit ut hæc scientia per se sola, & sine alterius adminiculo plene, & exacte doceat omnia, quæ sub obiectum illius cadunt; alijs vero sine huius tutamine, auxilio, & regimine exacte, & perfecte non possint: ergo dependent ab illa omnes ratione cuius dependentia aperte colligitur huius perfectionis excellentia, dignitatis splendor, quo inter cæteras scientias, sicut fulgentissimus Phœbus in intellectu firmatur, quasi inter minora sidera mirum in modum splendet, ac refulget, quapropter nihil esse hæc sapientia splendidijs vel quæ scitu, aut scitu dignius affirmat Chion *epist. ad Clearchum*, cuius vestigijs insistent S. Cyrillus, *s. in Iulianum*: Nihil, inquit, conferendum censeo, cum certa cognitione, & exacta, ac subtili contemplatione Dei non pecuniarum substantiam, non mundanum splendorem, non dignitatum gloriam; paulo post subdit quod autem recte hæc habeant etiam Græcorum eloquentibus videtur: unde Alexander Aristamator in *sermone de particularium providentia*, attamen oportet verum dicere, inquit, de ipsa in Deum pietate; maximum enim est, & perfectissimum bonum, omninoque beata vita, hæc enim existere in contemplatione ostenditur, contemplatioque in cognitione optimorum, Deus enim iam confessione omnium optimus est, hæc igitur cum ita se habeant utique in cognitione divinorum beatitudo sita erit: itaque ut recte dixi nihil est splendidijs cognitione Dei; Dei contemplatio possessio est salutaris, & omnis boni radix nobis & generatio hoc ut ipsum, ut optime adnotavit P. Rainaudus *Ægyptij*, ut maxima laude afficiendus Plutarchus monet ad umbrarum per elegantem symbolum, arborem namque perfectam nomini sermonum qui de divinis rebus tractantur Prædicto propterea dicabant, quod eius folia linguam referant fructus, cor innuentes, ut illa interpretatur ex omnibus, quæ homini insunt nihil divinius, aut quoad beatitatem suam accedat propinquius reperiri posse recta de Deo, ac divinis rebus cogitatione, atque sermonibus, est sane huiusmodi cognitio in nobis stillicidium quoddam eius notitia, quam Deus de se ipso obtinet omnis illius, qua perfunditur felicitatis fontem, quod Arist. quoque non latuit, & ideo hanc maximam divinam scientiam omniumque perfectissimam pronunciat, in metaphysica dum ait, quod eam à Deo maxime haberi pars sit, eamque solus ipse haud maxime habeat; hæc inquam una sola est inter disciplinas omnes, idonea maxime ad veram nobilitatis præstantiam animo conciliandam sola sapientia, & veræ Philosophiæ nomine digna respectu cuius, & præ hæc minutas, & parvas censei reliquas disciplinas debere asseruit Cyrillus dignitate ceteroque maximas, ut plenissimum, & micantissimum esse necesse sit splendorem dignitatis in ea quæ fulgore suo perstringat cæteras, & cui de utilitate ad vera bona capefcenda, reliquæ ad vnam omnes concedunt, quod confirmat optime huiusmodi ratiocinatio, nam ea scientia, quæ per
27 patetius lumen, & evidentissima principia, in quibus reliquarum scientiarum principia eminentissime continentur, & ad ipsa ultimatē tandem resolvuntur, perfectissimo modo tendit in omnibus excellentius obiectum, omnes scientias

perfectionis excellentia superare necesse est; at qui metaphysica hoc modo tendit in excellentissimum omnium obiectum proprium divinum, atque increatum numen: ergo metaphysica perfectior est omni alia scientia præcipue, quia in eo habitu ubi scibilitates obiectorum continentur eminenter, continentur etiam eodem modo scientia talium obiectorum, sed scibilitates omnium obiectorum partialium continentur eminenter in obiecto metaphysicæ: ergo omnes scientia partiales continentur eminenter eminentia non productiva, sed directiva, & ut melius loquar imperativa in metaphysica: maior certa est, quia quævis scientia propter scibilitatem sui obiecti constituitur in suo esse essentiali, cum ab illa specificetur, habeatque totum suum esse essentialia: minor probatur, ubi eminenter continentur scibilitates obiectorum ubi ipsorum principia eminenter continentur, quia scibilitas obiecti, à principijs pendet, & desumitur: sed principia obiectorum partialium eminenter continentur in habitu metaphysico, & in principijs eius, quæ ipsa ex munere proprio excruciat: ergo scibilitates omnium obiectorum eminenter continentur in habitu metaphysico: minor probatur, effectus eminenter continentur in perfectione causæ, sed omnia principia obiectorum partialium sunt effectus metaphysicæ, quia per universalissima sua principia evidentiam omnium priorum particularium virtualiter ad minus ostendit, & ultimatē resolvit in lumen suum omnium universalissimum, & patentissimum, à quo ulterius progredi naturaliter est impossibile: ergo metaphysica eminenter continet eminentia, quam supra explicuimus reliquorum obiectorum principia, & consequenter ipsorum scibilitates atque scientias; unde tam principia, quam scientia, particulares sunt quasi effectus æquivoci ipsius metaphysicæ, non ex eo quod producantur ab ipsa, sed quia lumine superiori illustrantur, ac diriguntur evidentissimo modo in evidentissimam veritatem.

Quartò principaliter probatur, quia Aristoteles inter alias conditiones, quas debet habere sapientia propria, hanc annumeravit quod talis scientia sit aptior ad docendum, ex qua sic arguuntur.

Nam illa scientia est aptior ad docendum, quæ altissimas, & omnium primas causas contemplatur: sed metaphysica sola inter reliquas scientias altissimas rerum omnium causas contemplatur: ergo. Maiorem omnes supponunt cum Philosopho; & ita declarari potest, quia illa scientia est aptior ad docendum, quæ est aptior ad efficiendum scire; sed scientia, quæ considerat altissimas primas, & ultimas rerum causas contemplatur, est aptior ad efficiendum scire, cum scire sit semper causæ cognoscere, & quod illius causa sit, & quod non possit aliter se habere: ergo est etiam aptior ad docendum; minor sic probatur, principia rerum vel sunt complexa, vel incomplexa, sed horum omnium altissima, & prima contemplatur metaphysica, nam ex incomplexis sola primo, & per se agit de Deo, quæ est prima omnium rerum, & universalissima causa; & ex complexis considerat principium illud universalissimum transcendens omnia principia particularium scientiarum, scilicet principium illud impossibile est idem, &c.

Ex quo colliges metaphysicam seu sapientiam
29
tiam

tiam non esse aptiorem ad docendum, quia considerat modum sciendi, & regulas & praecepta tradit ad demonstrationes rite efformandas, hoc enim proprium est Dialecticæ, sed ea dumtaxat ratione, quia cum contempletur rerum omnium primas, & vniuersalissimas causas, ipsa præ alijs scientijs sufficientior est ad causas effectuum, & connectiones proprietatum, & cum subiectis reddendas, ex vltima conditione assignata ab Aristotele, sic probò metaphysicam esse sapientiam: illa enim conditio requirit vt sit omnium scientiarum facile princeps quod ita metaphysicæ convenire probatur.

Primò, quia illa omnibus debitos terminos, & fines præstitit applicando illis obiecta, quæ earum essentialium habitudinem determinent, extra quæ illa non divagentur, quod efficit ostendendo essentialium distinctionem scientiarum inter se, & per obiecta: secundo quia illarum principia modo supra dicto stabilis, & confirmat: tertio, quia illæ vti ministræ, & famulæ excolunt addiscentium animos ad primam sapientiam: quarto quia ita se habent quodammodo cæteræ scientiæ ad metaphysicam, sicut illarum obiecta ad præcipuum metaphysicæ obiectum, sed præcipuum metaphysicæ obiectum Deus scilicet præstat scientiarum aliarum obiectis, vt Dominus servis: ergo & metaphysica præstabit alijs scientijs, vt Dominæ ancillis.

31 Dices præcipuum munus Principis esse subditos regere per dictamina practica, ad certos, & honestos fines: sed metaphysica non inclinatur ad assensum, qui sunt dictamina practica dirigentia cæteras scientias ad certos, & honestos fines: ergo metaphysica non est princeps cæterarum scientiarum, neque illis præesse potest vt dominæ ancillis.

32 Sed hanc obiectionem facili negotio labefactò, respondendo solum probare illam dominatum & regimen metaphysicæ in alias scientias non esse tam stricte accipiendum, vt fiat per imperium practicum: vt supponunt contraria argumenta, sed in eo solum sensu in quo procedunt probationes factæ.

33 Vltimo nostram conclusionem sic probò ex ætymologia sapientiæ, nam si vocis huius ætymon consideres, nihil aliud est secundum D. Bernardum sapientia, nisi sapida scientia, propter suavitatem ipsius, qua delibatos reddit ipsam possidentes & propter iucundissimam suavitatem, qua dulciter imbuuntur ac delinuntur ipsius delitijs, ac voluptate perfuantes, qui nescio qua suavitatis dulcedine perfunduntur, sed Theologia naturalis mirum in modum delectat, ac admirabili suavitatem animos complet, ipsiusque voluptate oblectantur sapientes: ergo est perfectissima sapientia: minoræ Egyptiorum Theologiæ auctoris sententia fortiter confirmat lib. 1. cap. 4. qui ad supremum, inquit, mundum aspirans intellexerit substantias divinas, causasque vniuersas, profecto summum præmium consequitur: quare nemini hoc negligendum est, etiam si in eo maximus labor sit subeundus, siquidem in illo fruatur animus mira tranquillitate perpetua, eaque quæ nulla ratione potest interturbari, atque cum homo ad hanc contemplationem natus sit, nihil agit, si vel minimo tempore ab ea recesserit, imò animum perdit, sibi que maxime contrarius efficitur, ex quo futurum est, vt in obitu vitæ antea actæ eum frustra peniteat.

R. P. Ildaph. de Peñañiel, Theol. Schol. Tom. I.

quo præcepto Plato hominem hortatur ad erigendum intellectum in superiorum contemplationem, sic ille, ad quem sese princeps eloquentiæ Cicero composuit dum libro primo, de finibus, in hæc non solum aurea, verum etiam gemmea verborum flumina prorupit: Sapientia, quæ est mater omnium bonarum artium, à cuius amore, græco verbo Philosophia nomen in venit, qua nihil à Dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præstabilius, nihil denique iucundius, ac suavius hominum vitæ datum, atque concessum esse videtur, hæc inquam sapientia est vna, quæ moestitiam pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat, quæ præceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore restincto; hæc nimirum est illa præstans, & divina sapientia, perceptas penitus, & pertractatas humanas res habens, qua nihil admiramur cum acciderit, nihil ante quam evenierit, non evenire posse arbitramur, quæ animos miris oblectamentis delectat: hæc tamen Cicero, oblinet etiam eo veluti melle suavitatis, & iucunditatis tractationem hanc consequutur labore in ea suscipiendum Philosophus primo de partibus animalium, cap. 5. genus vniuersum in eam, quæ mortalis, & caduca est, & eam quæ immortalis, & divina est, tribuisset, resque mortales, quod eas socias familiaresque habeamus dixisset posse nosci vberius, divinas partius, quod pauca addidit de eis sensui pateant, concludit tamen utroque se studio delectari, res illas namque supremas inquit tametsi leviter attingere possumus, tamen ob eius generis cognoscendi excellentiam, amplius oblectamur quam si hæc nobis iuncta omnia teneamus; etenim vt optime adnotat P. Theophilus non nisi eum, qui sensus composuerit & in se habitaverit occulseritque interioris auditus obturamenta liquidis illis de Dei, & divinarum rerum contemplatione voluptatibus perfundendum denunciat, paulo ante adductus Egyptiorum Theologiæ scriptor lib. 12. cap. 2. hoc vero qui præstiterit, summum inquit concentum percipiet purum, illustrem, & admirandum, in eoque inexplibili voluptate perfuetur, imò hæc in dies magis magisque accrescet, idemque in hac cognoscat concentum, qui in sensum cadit & cum corporibus est coniunctus, illius superioris solam esse imaginem, cuius præparationis hanc in modum rationem tribuit Ildorus Pelusiota lib. 1. epistolarum 304. epist. nam neque oculus lippiens, inquit, in solis orbe aciem defigere potest, si eam defigat, frustra id agit, morbosæ item linguæ frustra gratos saporibus adhibeas post illa amore quo scater præoccupata non sentiet. v. propterea quod aliqui apud Aug. 8. de civitate Dei, cap. 3. sensuerunt Socrates purgando mentis palato, & ad divina contemplanda præparando moralem vitæ moderatricem mitteret præ ratione harum excellentiarum præ alijs scientijs appetibilior est sapientia, quia magis satiat appetentis appetitum, quia sapientia naturalis felicitas hominis est, ac proinde vt felicitissima beatitudo maxime, ac magis complet capacitatem hominum, ac fundum desiderantis animi miris voluptatum delinamentis ac oblectamentorum suavitatibus perfundit, afficitque, quanta potest in hac vitæ perfectionis excellentia ardentius amandum.

SECTION

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversariorum dissolvuntur.

³⁴ Ad argumentum primum Respondeo explicando dictum Aristotelis, nam Philosophus ideo dixit sapientiam constare seu continere scientiam, quatenus deducit conclusiones ex per se notis, intellectum vero quatenus iudicat ipsa prima principia, & esse vera ex terminis, & demonstrat, tueretur, ac defendit, quæ intellectus tantummodo videt, & iudicat absolute, ubi sapientia tribuit iudicium in actu signato de veritate principiorum, intellectui vero in actu exercito, unde nunquam dixit Aristoteles constare intellectu & scientia, tanquam partibus, sed sapientiam esse quandam virtutem intellectualem, quæ eminentiori, & perfectiori modo continet rationem scientiæ, & intellectus: ad minorem distinguo, non coalescit ex scientia, & intellectu tantummodo partibus, concedo; non coalescit eminenter, id est non continet eminentia sua perfectionem utriusque, nego; ad probationem minoris concedo maiorem, & nego minorem, quia non solum est scientia, sed sapientia.

³⁵ Ad secundum concedo maiorem, & nego minorem: ad probationem minoris, nego implicare quod Theologia naturalis sit altior habitu principiorum, quia si attentius expendatur perfectius, & excellentius quod reperitur in intellectu, seu habitu principiorum est versari circa prima principia: atqui hoc ipsum continet sapientia, & ultra hoc versatur circa plura alia, quæ ex principiis inferuntur, & circa res divinas, & naturas præstantissimas, primasque rerum omnium causas, ut iam demonstratum manet, & quod caput est circa ipsam et prima principia versatur nobiliori & perfectiori modo sapientia, quia intellectus simplici tantum ratione versatur circa ipsa, ferendo iudicium ex naturali, & immediata efficacia naturalis luminis; sapientia vero reflectionem faciens supra ipsummet lumen, & originem illius contemplans, a qua ipsum habet totam certitudinem suam, evidentiamque, & illud assumit ut medium ad veritatem, certitudinem, & evidentiam principiorum demonstrandam, & hic modus iudicandi altior, & eminentior est, magisque comprehensivus, ratione cuius Theologia naturalis non solum est perfectior habitu principiorum, sed etiam toto ac pleno ore imperatrix, ac Princeps omnium scientiarum à Philosophorum Principe nominatur, & hac ratione efficaciter probat, demonstratque huius principatus: ergo metaphysicam sapientiæ nomine sola inter reliquas disciplinas iure optimo insigniri debere, ea, inquit, scientia maxime Princeps est ministrantique præponitur, quæ primas rerum causas considerat præsertim finalem, & ultimam, cuius gratia res fiunt, hoc autem est metaphysicæ munus; illa igitur est, quæ dominabitur reliquis disciplinis: ergo hoc titulo ipsa est sapientia.

³⁶ Obijciunt tamen aliqui apud P. Suarez, non hanc, sed moralem scientiam præsertim Politicam habere hunc principatum, & quasi imperium in cæteras scientias, ut recte P. Fonseca ad hunc Arist. locum adnotavit, etenim præcipere, ac dominari inter intellectuales virtutes practi-

cis potius, quam speculativis tribuendum est: præcipere enim practicus actus est, & Philosophia moralis practica est, & in ea præcipua est Politica, quæ in ordine ad communem reipublicæ bonum cuncta moderatur, & præcipit quod vrgeri potest, nam iuxta debitum rationis ordinem, non boni mores ad scientiam, sed scientia potius ad bonos mores referenda est; scientia ergo illa quæ bonos mores procurat, ei imperare debet, quæ in sola rerum speculatione sistit.

Ad hanc autem objectionem Respondeo cum ipso eximio D. dicendo quod si hæc rationes aliquid probant, potius de Prudentia, quam de Philosophia morali procedere; nam præcipere inquit magnus Suarez, ad Prudentiam pertinet non ad Philosophiam, intendere autem bonos mores, nec Philosophiæ, nec prudentiæ proprie convenit, sed voluntariæ, & virtutibus eius: deinde probant quidem illæ rationes prudentiam esse perfectiorem in ratione virtutis morali, & sub ea ratione practicæ imperare, & consequenter dare etiam gratis possumus in ordine ad bonos mores aliquomodo præire cæteris scientiis speculativis moralem Philosophiam, non autem probant rationes illæ vel absolute, & simpliciter esse perfectiorem prudentiam metaphysicam, vel in genere virtutis intellectualis Philosophiam moralem habere primatum.

Oportet ergo in scientiis duo distinguere, scilicet veritatis contemplationem, seu iudicium, & infallibilem vim, seu rectitudinem attingendi illam, & bonum vsum talis scientiæ, & actuum eius, quatenus liberi sunt, & bene vel male, & propter honestum finem, & cum debitis circumstantiis possunt fieri, aut non fieri: prior ratio est essentialis scientiæ ut sic, imo in universum omni virtuti intellectuali hoc per se primo convenit, quamvis practica virtus ulterius ipsam veritatis cognitionem, & iudicium ordinet ad opus, quod non pertinet ad maiorem perfectionem scientiæ ut sic, sed potius est indicium minoris perfectionis, ut hic Aristoteles docuit in proemio metaphysicæ: posterior ratio, scilicet vsum scientiæ, quod nimirum sit honestus, vel reipublicæ utilis vel ad alios fines est accidentalis scientiæ ut sic, licet sit maxime necessaria hominibus imperare igitur scientiæ vsum hoc posteriori modo proxime spectat ad virtutes aliquas, & ad prudentiam, & ad idem imperium magis conferunt scientiæ morales, quam metaphysicæ, & hoc propriè vocatur imperium practicum, quia respicit opus scientiæ: magis ut est opus voluntatis, quam intellectus: vsum enim est active in voluntate, quamvis interdum executio sit in intellectu, at vero dirigere scientias sub priori ratione, scilicet ad veri cognitionem per se primo, ac maxime pertinet ad metaphysicam, à qua quodammodo accipiunt principia, & terminorum cognitionem, & obiecta seu quidditas suorum obiectorum ut supra diximus, & ratione huius directionis & independentiæ dici potest metaphysica imperare alijs imperio potius speculativo, quam practico, ratione cuius ipsa simpliciter eminet in ratione scientiæ & sapientiæ: addo denique, si Metaphysica consideretur, quatenus in perfectissimo actu eius naturalis beatitudo hominis consistit, sic ad illam, ut ad finem ordinari non solum alias scientias, sed etiam morales virtutes, & prudentiam: nam hæc omnia ad felicitatem hominis

hominis ordinantur, & actiones omnes ad hunc finem optime referuntur, ut scilicet hominem disponant aptumque reddant ad divinam contemplationem, quæ formaliter seu objective ad hanc scientiam pertinet, licet habere debeat cōiunctum amorem, qui ex tali contemplatione solet nasci, atque hac etiam ratione concludit Arist. scientiam hanc omnibus imperare, quia contemplatur summum bonum, & altissimum finem simpliciter; sicut enim in artibus, quæ ad aliquem finem subordinantur, illa architectonica est alijsque imperat, quæ supremum finem in illo ordine considerat: ita metaphysica quæ absolute contemplatur ultimum finem scientiarum artiumque omnium, totiusque humanæ vitæ, dicitur imperare omnibus; esseque omnium principis, non quia proprie, & practice imperet, sed quasi virtute, & eminenter; non enim procedit metaphysica practice ostendendo, quomodo ille finis obtinendus sit, aut alia in eum dirigenda, & ideo non proprie, & formaliter imperat, ostendit tamen finem in quem omnia dirigenda, eumque finem ultimum rerum omnium esse demonstrat, & ideo ex parte rei cognita virtute, & eminenter quantum est ex se omnibus imperat, omniaque in eum finem, ac summum bonum dirigit.

33 Ad ultimum illius argumentum negatur, quia Theologia non procedit, nec est proprie effectus habitus principiotum.

40 Ad ultimum concedo maiorem & nego minorem.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Theologia naturalis actualis, quæ est actus metaphysica, sic felicitas, & beatitudo nostra naturalis simpliciter.

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

Prima sententia est veterum Philosophorum, ex quibus alij rationem formalem beatitudinis in honore, imperio, & fama; alij in divitijs, voluptatibus, & cæteris bonis corporis, honore, ac regimine collocabant: sed hæc sententia, ut delirium ab omnibus Theologis cum D. Aug. lib. de civitate Dei, & cum D. Thom. 1. 2. quæst. 2. per septem articulos rejciunt, eorumque argumenta evidentissime dissolvunt: videre si placet P. Vazquez, P. Salaz, Valentiam, & latissime Agidium de presentatione, tom. 1. de beatitudine lib. 3. his tamen breviter probatur eorum sententia.

1 Primo, Felicitas est status omnium bonorum aggregatione perfectus, sed hic status opibus obtinetur, ex Aristotele 5. Ethic. cap. 5. dicente pecunijs omnia possideri, & ex Ecclesiis 1. pecunia obediunt omnia: ergo.

2 Secundo, in eo ponenda est beatitudo naturalis nostra, quod magis nos Deo similes reddit, sed potestas, regimen & imperium supra alios nos reddit Deo magis similes, vnde ij qui alijs præsumt, in divinis litteris Dij vocantur. Exodi. 13. Dij non detrahes: ergo.

3 Tercio, beatitudo est id quod magis à nobis expecti debet, & cuius iacturam iniquiori animo R. P. Ideph. de Peñañel, Theol. Schol. Tom. I.

patimur, sed inter omnia bona nihil magis appetimus, quam honorem, & gloriam, & nullius boni iacturam iniquiori animo patimur: ergo.

Quarto felicitas in eo ponenda est, quod propter se ipsum expectitur, sed ita se habet voluptas, ut testatur Aristoteles 1. Ethic. cap. 2. dicens ridiculum esse ab aliquo querere, cur delectari velit.

Confirmatur, summa miseria consistit in doloribus, corporisque cruciatibus; ergo summum bonum, & summa felicitas consistet in carentia doloris & cruciatibus, quæ non habetur nisi media delectatione sensuumque externorum iucunda exercitatione: ergo.

Quinto, esto beatitudo nostra naturalis collocanda non sit in voluptatibus, & delictijs, quæ hominibus æque communes sunt cum brutis, tamen nulla est ratio quæ valetudo corporis eiusdemque venusta partium, & membrorum dispositio cum quadam coloris suavitate; quæ pulchritudo dicitur illa non sit; cum beatitudo locanda sit in præcipuo naturæ humanæ bono, sed præcipuum naturæ humanæ bonum est pulchritudo; ipsa enim gratiores amabilioreque reddit virtutes humanas, hominemque omni imperio, & honore dignum, secundum illud, species Priami digna est imperio.

Secunda sententia est asserentium beatitudinem naturalem non ponendam esse in operatione aliqua naturali; sed in habitu Theologico, sic Romanus 1. tom. de fine hominis; Leratius, Germanus, & alij, & probatur sic.

Primo, quia beatitudo vera, & propria petitionem perpetuam, & ad minus diuturnam; sed nulla operatio hominis, etiam Theologica potest esse perpetua, & diuturna: ergo in nulla operatione, &c. Maior patet, quia beatitudo est summa felicitas quæ non est talis sine perpetuitate, quod adeo verum est, ut est etiam visio beatifica supernaturalis, concessa in hac vita, v.g. D. Paulo, Moysi, & alijs, solum ob defectum perpetuitatis non mereatur nomen beatitudinis: minor sic probatur, quia experientia constat intellectum nostrum non solum perpetuo durare, sed neque perseverare matto tempore in contemplatione Dei: ergo.

Secundo, quia beatitudo est maxima perfectio creaturæ, sed habitus Theologicus, & non operatio ipsius est maxima perfectio naturalis: ergo. Minor sic probatur, quia si operatio esset maxima perfectio in illo genere non excederetur ab alia, sed operatio Theologica exceditur ab ipsa Theologia: ergo operatio Theologica non est summa perfectio.

Tertia sententia asserit, neque in actu naturali, neque in habitu, neque in aliqua entitate creata posse collocari veram, & propriam beatitudinem naturalem: hæc sententia defenditur solum à P. Vazquez, 1. parti. disp. 226. cap. 2. & 1. 2. disp. 13. Probatur sic primo, si præter beatitudinem supernaturalem daretur naturalis præter Deum, qui est obiectum beatitudinis supernaturalis, daretur aliud summum bonum naturale, quo connaturaliter beati efficeremur, sed hoc est falsum: ergo præter beatitudinem supernaturalem non datur alia naturalis. Minor clara est, quia in nullo ente creato satiatur appetitus.

Secundo probatur, quia beatitudo propria, quia summa felicitas est, non potest secum comparari summam infelicitatem, & miseriam peccati mortalis.